

05

A

1680





128
DISPUTATIO PHYSICA
De
VENTIS,

Quam
DEO DUCE
Sub
PRÆSIDIO

VIRI

Clarissimi atq; Excellentissimi

DN. M. JOHANNIS (Sperlingen)
Phys. Prof. Publ. celeberrimi, Dni. Præceptoris
Patroni & Promotoris sui debitâ observantiâ & honore
eratêm devenerandi

publicè discutiendam proponit

JOHANNES GEORGIUS Berner /

Pirnâ - Misnicus. Aut. & Resp.

Ad diem 12. Feb. horis matutinis

In Auditorio Mājori

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO M DC XLVI.

DISPUTATIO PHYSICA

V E N T I S

DE QUANTITATE

TRASSIDIO



05 A 1680

JOHANNES GEORGIVS

10044739



Prooemium.

Nter alia DEI opera & noilissima s
deventas Physicas ultimum haud obtinet
locum doctrina de Ventis. Horum natu-
ra, quamvis varia sit, non quod ad genera-
tionem, sed quod attinet ad regiones, in
quibus fiunt & unde spirant, atque ad qualitates eorum ac
tempora in quibus oriuntur, penè inscrutabilis: tamen di-
ligentia non solùm est homine digna, videre, quid de his
rebus docti tradiderint, & quomodo causas rerum miran-
darum & divinorum miraculorum, quorum ministerio
hujus tam immensi ædificii summus opifex præcipuusq; in
hominibus vel probandis vel puniendis ad vindictam haud
rarò utitur, in materià quæsiverint: verùm etiam studiis no-
stris jucundum & toti vitæ utile est, harum rerum causas,
quales humana ratio reddere potest, cognititas habere. Co-
gnitionem a. hanc divinam esse, sapiens etiam & religiosa
antiquitas monere voluit, quæ Æolum Regem & Vento-
rum Dominum fingebat, atque Sacris Ventos placabat
Structum Boreæ apud Illissum à Græcis templum Hero-
dotus est autor. Boreasmos Athenis nuncupabant, qui Bo-
reæ festa ducerent. Romæ Ædem Tempestatis fuisse P.
Victor monumentis literarum consignavit. Hujus igitur
nobilitate partim, partim utilitate producti, hâc vice inex-
hausto Naturæ thesauro doctrinam de Ventis depromere
& pensitare constituimus. Tu itaq; magne DEUS, qui mul-
ta miracula inter secreta naturæ adyta abdidisti, & ab oculis
ingrati vulgi avertisti, aperi nostrum intellectum, illumq;
Spiritu tuo immenso ac ineffabili illumina, ut stupenda
tua opera cognocere, tibiq; grata & nobis salutaria discere
queamus.

A 2

T. 1. c.

THES. 1.

Ventorum Etymologiam Grammatici deducunt à vehemētiā, quod sit agitatio aëris vehemens & violenta: Hujus enim Meteoris vis tanta est, ut non solum arbores & ædificia convellat, sed etiam cœlum Terramque conturbet atque mare commoveat.

THES. 2.

Ventus hîc non sumitur pro animâ hominis; nec pro falsâ doctrinâ. Quæ significationes non semel apud profanos & sacros habentur autores. Sed pro exhalatione spirituosa, sicut in illo Virgilij:

*Venti velut agmine facto,
Quâ data porta ruunt, & terras turbine perflant:*

THES. 3.

De Naturâ & definitione Ventorum olim varij variè senserunt. Quidam enim ventum nihil aliud esse voluerunt, quàm aerem agitatione commotum in partem aliquam. Alii dixerunt, ventum esse fluxum aëris crassioris, cujus tenuissimas & humidissimas partes sol absumpsit. Peripatetici ventum definiunt meteorum mixtum, maximè tamen exhalatione constans admodum siccâ, quæ ascendens beneficio nubium & mediis aeris frigore repellitur, ac circa Terram obliquè fertur. Non evidentiæ gratiâ adferimus definitionem Clariss. Dn. Præsidis, ventorum naturam exactè describentem, quam *lib. 5. cap. 9. præc. 1.* ita habet: *Ventus est Meteorum spirituosum ex effluvio flatuoso est superficie aut cavernis Terra, ut & fluviis ac lacubus egresso ortum, quod ascendere laborans reprimatur & in obliquam retorquetur, cumq; impetu per aërem ruit.*

THES. 4.

Hæc definitio constat e *Gnere*, & eo quidem proximo, ac *Differentiâ*. Genus esse *Meteorum spirituosum*, è naturâ horum meteororum constat. Ex effluviis enim flatuosis ac spirituosis oritur.

THES. 5.

Differentiam, per quam Genus restringitur ad solum definitum, ut ab aliis distingvatur, perspicuè satis ostendunt & explicant, quæ sequuntur verba. Quorum cognitio cum primis
à cau.

à caufarum notitiâ dependet. Igitur nunc quatuor ponderanda sunt cauffæ, videlicet *Materia, Forma, Efficiens, Finis.*

THES. 6.

Materiam ventorum vulgò conftituunt exhalationem ficcam & calidam, cujus rei Michael Zanardus has affert rationes: 1. *Quia dum talis exhalatio abundat, ut in Vere & Autumno, tunc abundant Ventis.* 2. *quia venti fepe ab ortu solis flare incipiunt, quia eo tempore sol ad fe trahit magnam quantitatem vaporum, cauffatam ex humiditate & frigiditate noctis.* 3. *quia cæli rubedo denotans magnam calliditatem aëris Ventos annunciat & ita Cometae confumptio, quia exhalationes multæ tunc in aëre redundant.* 4. *Quia ut plurimum Ventis ex ficcâ & calidâ aduftivâq; materiâ confurgunt.* Sed exhalationem ficcam & calidam ventorum materiam non effe, quivis facile deprehendere potefl. Si enim hæc exhalatio effet tantum calida & ficca, venti calidi etiam & ficci tantum effent. Experimentia autem teftatur, quod nonnunquam frigidi admodum & humidi venti exfurgant. Nos igitur potius ventorum materiam dicimus, effe effluvia flatuofa, quorum natura indifferens eff, ad caliditatem & frigiditatem, ad humiditatem & ficcitatem. Quod autem Ventis nonnunquam calidi & ficci, nonnunquam humidi & frigidi fint, nullam ob aliam cauffam fit, quam quod (ut Clariff. Dn. Præfes loquitur) ifta effluvia cum atomis, quæ in illis locis exiftunt, per quæ tranfeunt, conjungantur. Hinc feptentrionales frigidi funt, quia perflant loca nivofa. Australes verò calidi, quia tranfeunt per calida loca.

THES. 7.

Formas rerum naturalium, exceptâ unicâ hominis, in hæc humanâ imbecillitate ignoramus. *Humi enim noflra repit ſcientia, & formarum omnem ferme in modum nescius eff animus, fepeq; cum Formam inveniffe gloriatur, vix miſellum eff Accidens, cum Clariff. Dn. Præſide nobis ſemper eff clamandum. Ventorum itaq; Formam quodam modo ſaltem deſcribimus. Eſtq; eorum per aërem impetus, & in obliquum reſorſio.*

THES. 8.

Efficiens Cauſſa eff vel Universalis vel Particularis: Illa vel Prima vel Secunda.

THESES. 9.

Prima est solus DEUS gloriosissimus, ab hoc enim omnia naturalia dependent: Solus DEUS univerforum causa prima est, in eoq; coetera particularia principia fundantur. Ipse est Causa Causarum, Bonitas Bonitatum, omnium scaturigo & principium, omniaq; producit, prima, media, ultima. Hic montes formavit & ventum creavit *Amos 4. v. 13.* Hic ventos de thesauris suis producit, *Pf. 135. v. 8.* & eos ad vindictam emittit. *Ecccl. 40. v. 33.* Hic est ille DEUS potentissimus de cuius potestate & gloriâ Poëta canit:

Quicquid in orbe vides, paret mihi florida tellus,

Cum volo, spissatis arefcit languida succis:

Cum volo, fundit aquas scopulis, atq; horrida saxa

Niliades jaculantur aquas, Mibi Pontus inertes

Submittit fluctus, Zephyriq; recentia ponunt

Ante meos sua flabra pedes, mihi flumina parent,

Hircanæq; tigres: jussi & servire dracones.

THESES. 10.

Secunda, sunt Sol & corpora coelestia, quorum peculiari influxu spiritnosa ac flatuosa effluvia è Terris & Aquis educuntur. Non enim frustra facta tot sidera, sed alia serenitatem, alia pluvias, alia nives, alia ventos, præbent mortalibus.

THESES. 11.

Particularis Causa Efficiens est effluviolorum ascendentium natura, cujus vi huc illucq; ruunt, ac terras turbine perflant.

THESES. 12.

Finis est vel Principalis, vel minus Principalis.

THESES. 13.

Finis Ventorum Principalis est animantium sanitas. Nam Ventorum 1. proprium est suâ ventilatione purgare, movere, & aërem mutare, nequid in aëre sit squalidum & putridum, imprimis si venti ab Oriente vel Septentrione spirent. 2. Parere pluvias & serenitatem efficere, ut satorum & arborum fructus alantur. 3. Commovere aquas ne nimia quiete putrescant & suâ putredine animantia enecent. Nam sicut animalia per motum acquirunt alimenta, sanitatem pariunt atq; conservant, ita

ita etiam herbæ, satorum & arborum fructus ventilatione excitantur, noxia & vitiosa excutiuntur, latentes fruges ruptis velamentis aperiuntur & à putrefactione servantur. De hoc fine Seneca lib. 5. Quæst. ita loquitur: *Ergò ventos dedit summus ille rerum artifex, ad custodiendam cæli terrarumq; temperiem, ad evocandas suppressendasq; aquas, ad alendos satorum atq; arborum fructus.* Hinc & ventorum utilitate Augustus Imperator motus, Circio Templum vovit & fecit, qui salubritatem Galliæ tantum affert & ibi aërem purgat.

THES. 14.

Minus Principalis finis varius est; imprimis autem navigationem spectat, nullum enim dubium est, quin DEUS omnis bonitatis fons & origo, idcirco frequentiores in mari ventos oriri voluerit, ut navigatio humano generi res commodissima perficeretur, atque hoc modo commoda cujusq; regionis fiant communia. Hujus vi quoq; & impetû molæ versantur multæ.

THES. 15.

Huc referri etiam potest Finis Ventorum Theologicus: His enim DEUS vindex improbitatis gravissimus scelera hominum in hac vitâ interdum punire solet: unde etiam, ira DEI vocatur procella. Interdum & DEUS ventis utitur, ut hominum fidem & constantiam probet: sicut historia Jobi nos docet.

THES. 16.

Consideratis causis, sequuntur nunc Ventorum affectiones, quæ sunt, *Locus, Tempus, Qualitas, Vehementia flatus & sonus.*

THES. 17.

Locus ventorum est *infima & media aëris regio*: Nubes enim ventis agitari manifestum est. Supremam autem Aëris regionem non attingunt: in montibus enim editissimis nullos spirare ventos cinis, declarat, qui in ijs licet assidui fiant & vehementissimi venti, nunquam commovetur. Hoc etiam Solinus confirmat, qui refert, *in cacumine montium altissimorum, Olympi in Thessaliâ, & Athonis in Macedonia cineres post sacrificium relictos nec ventis difflari, nec aquis dilui.*

THES. 18.

Tempus etsi certum & statum, exceptis tribus anniversariis, attribui ventis nequeat: tamen experientia docet, eos tempore
verno

Et autumnali frequentiores esse, tempore hyemali Et æstivo rariores.
Ratio hæc datur: quia in istis anni partibus propter moderatam
aëris constitutionem effluvia ventis materiam præbentia, facilius
aërorum influxu educi ac elevari possunt. Contrà verò æstivo
tempore hæc à nimia caloris vehementia resolvuntur & consu-
muntur: tempore autem hyberno, terræ pori ob frigus intensum
ita constringuntur, ut nihil exhalare & educi possit. Cessante
itaque causâ & effectum cessare necesse est. Hæc autem sunt in-
telligenda de æstate & hyeme à suis qualitatibus non declinanti-
bus i. e. de æstate calidâ & hyeme frigidâ. Nam cum utraq; pars
anni à suâ qualitate discedit, non minus venti fiunt, quàm in re-
liquis anni partibus, e. g. Quando æstatis constitutio est frigida
& humida, multi tunc etiam ventorum flatus excitari possunt;
quia nulla adest caliditas, quæ materiam ventorum consumere
possit.

THES. 19.

Affectionibus quoq; ventorum annumerantur eorum qua-
litates diversæ. Etsi enim omnium ventorum eadem est causâ
materialis. Tamen eorum qualitas non est eadem, sed mutatur
pro qualitate regionum per quas spirant. De his in sequentibus
agitur.

THES. 20.

Venti vehementia oritur, quando spirant venti *obliquè con-
trarii*, quò enim obliquiores sunt, eò vehementius spirare, atque
in aëre graviores inter se pugnas & tempestates excitare solent.
Accedit effluviarum copia, quæ trudent se ac propellunt, sicut
unda undam.

THES. 21.

Sonum Venti edunt quoq; horribilem; sed hic fit, *quando
frangunt aërem*, per quem spirant; Dum enim spiritus aërem col-
lidunt, fragorem istum excitant. Non secus ac ex amphorâ ven-
tre pleno præditâ, vox auditur terribilis.

THES. 22.

Venti dividuntur in *Regulares Et Erraticos.*

THES. 23.

*Regulares dicuntur, qui ex certâ Et desinitâ Mundi plaga oriun-
tur. Suntq; vel Indefiniti vel Stati.*

THES.

THES. 24.

Indefiniti sunt, qui non spirant certis ac statis anni temporibus. Dividuntur verò in Cardinales & Collaterales.

THES. 25.

Cardinales sunt, qui ex aliquo quatuor cardinum Mundi spirant Et dicuntur 1. Subsolanus, der Ostwind. 2. Auster, der Südwind. 3. Zephyrus, der Westwind. & 4. Aquilo, der Nordwind. Ventos cardinales, Ovidius l. 1. de Trist. Eleg. 2. tali carmine descripsit.

*Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu,
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest:
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab arcto,
Et Notus adversa praelia fronte gerit.*

THES. 26.

Subsolanus ab ortu spirans, est ventus calidus & siccus, snavis & purus præcipuè tempore matutino: hinc corpora in sanitate custodit, flores producit & serenitatem inducit.

THES. 27.

Auster à Meridie spirans est Ventus calidus & humidus, pluviosus & sanitati minus commodus. Aures enim hebetat, sensus tardat, capitis dolores movet, totum corpus efficit hebes, humidum & languidum; hinc etiam febres generat, imprimis autem putridas & pestilentiales, ut Hippocr. l. 3. aphorismorum aphoris. 5. rationibus & experienciâ confirmat. Hinc Ovidius:

Lethiferis calidi spirarunt estibus austri.

In Tercerâ, ut Berius scribit, hic Ventus & lapides & ferrum arrodit. Sæpe æruginem frumentorum facit. Ita enim narrat Conciliator se vidisse in Italiâ corruptas segetes mense Majo, flante Austro, aère tum turbido, pulverulento & nebuloso. Hinc nec cellaria, nec ædes, nec bibliothecæ, nec granaria illis flantibus aperiri debent.

THES. 28.

Zephyrus ab occasu spirans, est ventus humidus & frigidus, pluvias & tempestates imprimis circa finem autumnii & hyemis initium adducens. Inde in excitandis morbis frigidis & pituitosis non parum valet. Ratione humiditatis Zephyrus hyemem, nives & pruinas

B

nas

nas resolvit, ac veri in quo plurimum viget est similis, & herbas floresq; producit: hinc etiam *Favonius* à *favendo* vel *fovendo* dicitur. Hoc flante venationes minus sunt secundæ quia canes à feris facile aberrant. Hujus rei Physicæ causæ duplices dari possunt: 1. quia ventus iste propter humiditatem odorem, qui canes præcipuè ducat, obtundit & extingvit. 2. quia ventus iste inter reliquos proximè ad terram spirat, reliqui altiùs, ideò istum odorem facile intercipit.

THES. 29.

Aquilo à *Septentrione* veniens, est ventus frigidus & sicus, nubesq; flatu forti dissipat ac serenitatem inducit. Hic à *Plinio* omnium saluberrimus dicitur. Hujus enim beneficio homines in *Lesbo* apud *Mitylenem* propter *Austri* flatum ægrotantes & eorum tussientes in salubritatem resituebantur. Interdum autem ut *Clariss. Dng. Præses* inquit, hic ventus hyberno tempore propter rigiditatem & frigiditatem constrictione etiam eatharros, pleuritides, similesq; morbos procreat.

THES. 30.

Ventos cardinales excipiunt *Collaterales*, qui cardinalibus ad latera adjunguntur.

THES. 31.

Horum numerus varius est, & de his non semper eadem omnium fuit sententia. Veteres quatuor tantum interjecerunt principibus seu cardinalibus, & uniusq; istorum certum attribuèrunt ventum, de hac divisione inter alios *Ovidius* l. 1. *Metam.* ita scribit:

Eurus ad aurorum Nabatæaq; regna recessit
Persidæq; & radiis juga subdita matutinis:
Vesper & occiduo, quæ littora Sole tepescunt.
Proxima sunt Zephyro: Schythiam septemq; triones,
Horrifer invasit Boreas, contraria tellus,
Nubibus assiduus pluvioq; madescit ab Austro.

Hunc numerum etiam vulgus *Nautarum* in *Italiâ* in hodiernum usq; diem agnoscit & observat.

THES. 32.

Sequens ætas cum *Varrone*, *Plinio*, *Senecâ* (qui putat plures

res

res nunquam esse posse quàm 12.) *Alberto &c.* ad numerum cardinalium octo addidit, ita ut ex singulis cardinibus tres spirarent. Cum enim animadverterent, puncta ortûs & occasûs Solis non esse eadem sed diversa, ita ut alio loco tempore Æquinoctii, alio tempore æstivo, alio in brumâ oriretur, adjecerunt singulis cardinalibus duos cardinales, ejusdem tamen qualitatis. Astrologi etiam certis rationibus adducti, hanc sententiam probant. Et cum duodecim sint signa Zodiaci, ad horum principia ventos totidem referunt, in quibus Sol & cæteræ erraticæ virtutem suam exercent.

THES. 33.

Recentior ætas hunc numerum respuit & ab hâc numerosâ & nimis subtili ratione quatuor abscidit. Octo enim tantum numerant, videlicet 1. Ab ortû Æquinoctiali Subsolanum. 2. Ab ortû æstivo, Aquilonem. 3. A brumali Vulturum. 4. A Meridie Austrum. 5. Ab occasû brumali Africum. 6. Ab occasû Æquinoctiali, Favonium. 7. Ab Æstivo occasû, Corum, 8. A septentrione, Septentrionem.

THES. 34.

Alii sedecim ventos constituerunt, retinentes 4. cardinales & quatuor laterales primarios, addentes adhuc intermedios octo, quos ita vocant: Asiaticum, Græcum, Hybernum, Hipodromum, Gangeticum, Araspronem, Scythicum & Gallicum. Hanc numerandi rationem *Clariss. Bartholinus* potissimum commendat & probat, quia inquit, est optima & ad usum nauticum ac commodatissima.

THES. 35.

Recentes Hydrographi & nautæ ventorum numerum ex longâ observatione sic auxerunt, ut jam 32. numerent, quorum Schema in pixide nauticâ depingi solet. Dividunt enim Horizontem in partes triginta duas, & singulis partibus singulos ventos attribuunt, atque nominibus compositis ex quatuor ventorum cardinalibus nominibus nominant. Qui regiones horum ventorum exactè cognoscere volunt *Gemma Frisii* quadratum nauticum, quod extat ad cap. 12. *Cosmographia Appiana*, videre possunt.

THES. 36.

Horum omnium nomina Latinè & Germanicè sequenti modo exprimentur: 1. Septentrio Norden. 2. Thracias Norden zu Westen. 3. Gallicus Nordnordwest. 4. Circius Nordwest zu Norden. 5. Favonius Nordwest. 6. Zephyrus Nordwest zu westen. 7. Hybernus WestNordwest. 8. Sirochus West zu Norden. 9. Notus Süden. 10. Austri Sud zu Osten. 11. Gangeticus SudSudost. 12. Euronotus Sudost zu Süden. 13. Euroauster Sudost. 14. Eurus Sudost zu Osten. 15. Græcus OstSudost. 16. Levans Osten zu Süden. 17. Subsolanus Osten. 18. Cæcias Osten zu Norden. 19. Asiaticus OstNordost. 20. Vulturinus Nordost zu Osten. 21. Aquilo Nordost. 22. Boreas Nordost zu Norden. 23. Scythicus NordNordost. 24. Hypartius Nord zu Osten. 25. Ponens Westen. 26. Africus West zu Süden. 27. Hypodromus WestSudwest. 28. Libonotus Sudwest zu westen. 29. Auster africanus Sudwest. 30. Libonotus Sudwest zu Süden. 31. Arabspro SudSudwest. 32. Melioras Sud zu Westen.

THES. 37.

Hactenus de Ventis Indefinitis; nunc etiam considerandi sunt venti statii. Hi dicuntur statii, quia spirant certis & statis anni temporibus. A quibusdam nominantur Anniversarij quia singulis annis circa idem tempus redeunt. Sunt autem 1. *Ορνιθία* ab avibus, seu *χελιδονία* ab hirundinibus aut *ρόδωνες* à rosis sic dicti 2. *περδελμοί* seu *percursores*, quòd Etesias præcedere soleant, sic appellati. 3. *ετησία* seu *Etesia* quasi anniversarii in specie sic dicti.

THES. 38.

χελιδονία sunt venti statii qui spirant quando hirundines & aliæ aves redire solent circa Æquinoctium Vernum. Hi secundum quosdam novem, secundum alios triginta diebus spirant: non tamen continuè sed per intervalla, modò ab Occidente, unde eos Plinius dicit esse Favonios, modò à septentrione occidentali, unde à *Columella* Aquilonares nominantur. Interdum, ut *Clariss. Barth.* scribit sunt Etesias debiliores & mitiores, interdum rigidi, turbidi grandinosi & nivosi, atque magnâ cum pluvîâ aut procellâ grandinosâ in Favonium desinunt.

THES. 39.

περδελμοί

Regd' eguoi seu præcursores sunt venti stati, qui singulis annis 8. diebus ante Canicula stella tortum placidè spirant. Hinc à Senecâ dicuntur venti delicati & somniculosi.

THES. 48.

ετησιας seu Etesia sunt venti stati qui singulis annis biduo post exitum stelle canicularis quadraginta diebus spirare solent. Hi suo flatu calorem moderantur, æstatem frangunt & à mensium ferventissimorum gravitate defendunt. Oriuntur à tertiâ diei horâ & noctu desinunt.

THES. 41.

Hi gignuntur à calore magno, nives in locis septentrionalibus adhuc reliquas colliquante. Quia, ut loquitur B. Sennertus, terræ exoneratæ nive, resectæq; liberiùs spirant. Quapropter & ultra caniculares dies non durant, quia post eos dispoliata sunt omnia, aut certè admodum pauca jacent adhuc sub nive.

THES. 42.

Explicatâ ventorum Regularium naturâ, tendimus ad ventos erraticos. Hi autem erratici seu irregulares dicuntur, quia non ex certâ Mundi plagâ spirant, sed undiquaq; cum impetû oberrant. Horum præcipui sunt, Exhydrias, Ecnepbias & Turbo seu Procella.

THES. 43.

Exhydrias quasi aquator est Ventus vehementissimus & impetuosissimus cum imbribus aut grandinibus grassans & obvia quæq; prosterbens. Ex hoc vento mare dicitur interdum effervescere sub ipsis navibus, quia naves magnâ vehementiâ penetrant in profundum aquæ,

THES. 44.

Ecnepbias quasi ex nube Ventus, est repentinus & vehemens ventus, qui ingyrum contorquetur, & optima quævis corripit. Hic Ventus est omnium acerrimus, furens, validus & mirandum in modum tumultuosus. Hinc capitalis est velut nautarum hostis, utpote qui non vela tantum rumpat & dejiciat, sed ipsas naves frangat, absorbeat, & in altum nonnumq; evehat. De Lusitanis enim scribitur, quòd sub Æquinoctiali ejusmodi ventorum impetum experiantur, tandemq; crebris periculis moniti, ubi nubem conspiciunt, vela subito contrahant, quod nisi faciant,

B 3

na-

naves isto vibratū emergantur. Hunc secundum *Plinium* aceto effuso solvi ridiculosum est & ineptum.

THES. 45.

Turbo est *Ventus* repente proficiens, qui recto cursū absq; circumgyratione ruit, aërem obscurans & pluviā precedens. Hic ventus, ut *Orvetanus* & *Polus* referunt, in Japoniam è Sinarum regione navigantibus tantas ciet procellas, ut non nisi miraculo effugiat naufragium. In regione *S. Vincentii* Sylvas extirpat: in *Hispaniolâ* ad skadii intervallum, sublato transfert homines. In Insulâ *Ormutio* si excitentur fervore interimunt obvios, occisorumq; carnes, quod aquâ ferventi fieri videmus ab ossibus disjungunt. Periculum ut effugiant, corpora in aquis occultantur ad caput.

THES. 46.

Horum autem sævi impetus in uno mari plus, altero minus dominantur, unde minus est periculi navigantibus in uno mari, quàm in altero. In Indica navigatione, propterea valde periculosa est ea pars *Oceani Atlantici*, quæ est ad promontorium *Bonæ spei* & cum ex portū in Japoniam navigatur, ferunt nautæ eam navigationem, inter omnes hujus temporis navigationes esse periculosas.

QUÆSTIONES

I.

An Ventus ab Aëre differat?

Affirm: *Seneca* lib. 5. quæst. nat. *Vitruvius* l. 1. c. 6. ut etiam alij nonnulli Philosophi, *Ventum* aëris agitationem, vel aërem fluentem dixerunt. Horum autem sententiam veritati contrariam, missam facimus & differentiam inter aërem & ventos sequentibus probamus rationibus: 1. Aer a vento distinguitur, quia ille est Elementum, hic verò Meteorum. 2. Aer patitur & concutitur, Ventus autem concutit & agit. 3. Aëris semper eadem, est copia; Venti autem sunt diversi: Experientia enim testatur, Ventos nonnunquam esse vehementes & impetuosos, nonnunquam verò remissos & infirmos. 4. Si solus aër ventum efficeret

erret: venti semper adessent & ejusdem naturæ essent: Contrarium autem datur. Manifestum igitur est aërem à ventis differre. 5. Aër in quâcunq; regione est idem; venti verò non sunt unius ejusdemq; motus & vehementiæ: In Septentrione enim & Meridie venti sunt vehementiores & frequentiores, quàm in oriente & occasu.

II.

An Aura & Ventus differant?

Affirm: Differunt enim non quidem *Causâ Efficiente sed Materiâ, Formâ & Fine*, ut ex Auræ definitione patet, quæ talis est: *Aura est levissima agitatio vel ventilatio, orta ex tenui exhalatione leviter motâ, quæ aërem parùm movet & ventulum excitat, qualis ab ictu flabelli excitari solet.* Aura igitur (1) non est certorum locorum, sed promiscuè & non valdè flat atq; penetrat tantùm: Venti autem sunt statim & semper spirantes flatus, oriunturq; ex certis locis ut alius ex Meridie, alius ex septentrione. (2) Aura consistit intra suum tractum & certum spatium, atq; in saltibus & ripis fluminum flagrante solis æstû solet observari: Ventus autem est flatus, qui per totam aliquam terram aut regnum sentitur. 3. Aura tantùm in magno solis æstu homines recreare solet: Ventus verò aërem ab omnibus sordidis & squalidis rebus purgat, de cujus fine suprâ diximus in *Thef. 13. Auram. Ovidius l. 7. Metam: & Pontanus in Meteoris c. 28. eleganter & prolixè describunt, qui propterea evolvi & legi possunt.*

III.

An duo Venti simul spirare possint?

Bartholomæus Keckermannus, lib. 6. Phys. c. 7. distingvit inter Ventos oppositos cardinales & collaterales, statuitque hos ut Africus & Cæcias, simul flare posse: non verò illos. Sed hæc distinctio non habet locum: Experientia enim testatur & ratio dicitur, ventos è diametro oppositos, sive sint collaterales sive

car-

cardinales; simul & semel, uno eodemque Horizonte diu spirare naturaliter non posse: quia si sint pares, alter alterum impedit; si impares, imbecillior à fortiori victus cedit & fortior solus imperium obtinet. Nos igitur distingvimus inter ventos obliquè & ex diametro oppositos, & dicimus, hos propter adductas rationes nunquam simul spirare: istos verò, quia nullum datur impedimentum, vim suam simul & quamdiu effluvia spirituosâ adsunt, exercere posse.

IV.

An ubi frequentes & turbulenti ventorum sunt flatus protervi & feroces inveniantur homines?

Plato l. 5. de Leg. scribit: *Ubi frequentes sunt & turbulenti ventorum flatus, illic quoque protervos & feroces homines reperiri. At hoc est accidentale. Causa enim hujus nulla alia reddi potest, quàm quòd sanguis & Spiritus nimiam ventorum agitatione vehementer turbentur & confundantur. Spiritibus autem mentis functionum instrumentis turbatis animo ipsi turbationem, quandam accidere contingit.*

V.

Unde Venti Erratici originem habeant?

Bodinus l. 2. Theat. Nat. pag. m. 171. Causas horum ventorum naturales penitus evertere conatur. Hinc istas divinæ aut dæmoniæ potestati tantum adscribit, talemque horum ponit definitionem: *Qui sunt venti, quærit, præter naturam? Qui non à sole, respondet, sed à geniis excitantur, ut sunt Ecnephia, typhones, præsteres & turbines ignei, qui præter naturalem aëris motum elementa conturbant: inde fit, ut ante procellas appareant ignes huc illuc vagantes: interdum genii ventum naturalem sequuntur, sed vehementius impellunt interdum etiam apposita vi retundunt. Verum causarum ignorantia eò adegit Virum, ut miserè crederet, naturæ viribus ventos*

Ventos excitari non posse. Sed si omne id quod nostrâ ratione satis apprehendere haud valemus è naturæ eliminandum, theatro, nihil tandem nobis reliquum esset, quod naturam agnosceret formatricem. Ubique clamandum cum Scaligero: *In luce verum tenui caligamus, in mediocri cæcutimus, in majore cæci sumus, in maximâ insanimus.* Negari quidem non potest, quòd vehementes ventorum motus interdum divinitùs immittantur, quibus DEUS omnipotens homines impios & securos punire solet. *Venti enim, quidam ut Ecclesiasticus c. 40. v. 33 loquitur à DEO ad ultionem creati sunt: quippe qui vehementiâ suâ damnum dant. Et cum tempus puniendi venerit, quodammodo furunt & iram exequentur qui ipsos creavit.* Sacræ verò literæ dum primam celebrant causam, haud negant secundas. Diabolum etiam interdum talium tempestatum & flatuum vehementissimorum permissu DEI auctorem esse, nemo negat: hic enim tanquam infestissimus generis humani hostis omnium hominum corpora lædere, & quæ ad hanc vitam necessaria sunt intervertere ac perimere eupit; hujus furor etiam & ira ex *cap. 1. v. 18. libri Hiobi* evidenter satis patet, cujus liberos ac oves vehementis venti excitatione perdidit. Non tamen semper fit, quod semel fit, atque iterum: Neque à solo fit, quod concurrente naturâ fit. Proxima datur causa, effluviolorum spirituosorum natura.

Atq; hæc pauca sunt, quæ de Ventorum naturâ proponere voluimus.

**DEO Opt: Max: qui nos ad
finem perduxit, sit Laus, Honor & Gloria in
non finiendas æternitatis æter-
nitates.**

C

Ad



Ad

HUMANISSIMUM

Dn. RESPONDENTEM,
Amicum meum honorandum.

Continuant nostræ juvenum præconia Musæ,
Nec poterit deses nostra jacere chelys.
Sed tibi cum primis faveo studiisque supremis,
Ex myrtho sertum queis mea dextra parat.
Hoc WERNERE, tui quondam meruere parentes;
Optima enim Musi tecta dedere meis.

M. Michael Vendelerus
P. P. & p. t. Decanus.

AD DOCTISSIMUM

Dn. Respondentem,

Dum ventos agitas, spectacula mira theatri
Mundani, partes suscipis egregias.
Magnas naturæ vires qui pandere gaudet
Magnum non parvo maectat honore Deum.
Grator de ceptis. prensabis premia letus
Quæ dotes animi promeruere tui.

Johan Sperling / PP.

Fla-

FLamina quid possint Æneas maximus heros
Expertus satis, & duplicis mens provida Ulyseï
Succinit. hos rabiesq; Noti, creberq; procellis
Africus ignotas cogebant visere terras.
Navita damnatus ventis miscrauda recenset.
Haut minor hos inter vestigat mente sagaci,
Vi sollerte potens studioq; indefidis otî
WERNERUS, meliore oculo quem spectat Apollo
Inspexisse queat **PHYSIN** unde potentia tanta
Ventorum. Precor ut flamen tua vela secundum
Impleat, aoniâ redimitus tempora fronde
Incedas. Voto subscribite Numina magna.!

*deproperabat hæc præmio Dn. RESP.
amico sincero*

Joachimus Döbelinus Burgensis

T*urbida dum, WERNERE, doces quid murmura Ventis
Gignat, & è quonam sint oriunda loco;
Quomodo per campos, silvas montesq; vagentur
Mundi, nos tacitè quid tua Musa docet?
Te per Natura totum currisse theatrum
Ingenio, & quasvis res didicisse satis.
Ergò, quod virtus meruit doctrinaq; mentis,
Myrtidanum Tibi post reddet Apollo decus.*

*Quasvis evèna
apponeb.*

Christianus Stolz Pirnensis

05 A 1680


ULB Halle 3
003 779 181


Wolff

au,







128

DISPUTATIO PHYSICA
De
VENTIS,
Quam
DEO DUCE
Sub
PRÆSIDIO
VIRI
Clarissimi atq; Excellentissimi
DN. M. JOHANNIS *(Sperlingen)*
Phys. Prof. Publ. celeberrimi, Dni. Præceptoris
Patroni & Promotoris sui debitâ observantiâ & honore
ætatem devenerandi
publicè discutiendam proponit
JOHANNES GEORGIUS *Berner* /
Pirnâ - Misnicus. Aut. & Resp.
Ad diem 12. Feb. horis matutinis
In Auditorio Majori

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M DC XLVI.